

te vere, citius ac fieri consueverat, in Peloponnesum navigare jufferat, ut e Methone, Corone, Naupacto, Pylo, atque aliis illius regionis oppidis abunde nauticus panis, atque alia in belli usus necessaria suppeditarentur. In ea ad quatuor prætorianorum militum millia censebantur, complures equites (qui *Spacchi* a Turcis dicuntur) multi e Græcia, atque aliis Europæ provinciis sibi subjectis evocati, ut universi viginti millia numero conficerent. Classis centum quinquaginta triremibus constabat, inter quas viginti ex Aegæi maris custodiis numerabantur; quinquereemes, quas *maonas* vocant, octo, quibus immania tormenta ad moenia disjicienda advehebantur: ad hæc complura navigia commeatu, bellicisque rebus onusta. E Lepti quoque Dragutes accitus, ut cum suis navigiis reliquis se se adjungeret; classemque ducentarum triremium numero futuram ferebatur. Maritimum imperium Piali purpurato qui, superioribus annis ad Meningem Hispanorum classem devicerat, terrestre Mustaphæ Suleimanus detulerat.

Ingenti hujusce apparatus fama cum per Europam percrebresceret, omnium Principum animos ad se attraxerat. Veneti, licet omnem belli impetum in Melitam insulam effusum iri cognovissent; attamen, ne præpotenti Turcarum classe maria infidente, vetustum maritimarum virium augendarum morem prætermitterent, atque ut Reipublicæ ditiones tuerentur, classis imperatorem Melchiorem Michaelium, divi Marci Procuratorem, majoribus comitiis dixere. Philippo Bragadeno legato Antonium Canalem collegam addidere; Corcyræ summum imperium Francisco Barbaro detulere; ad Illyrici, Cypri, Cretæ magistratus literas dedere, quibus, interiore solitudine iis firmandis, ac tuendis incumbere jussere. Michaelio præceptum, Suleimani classe Corcyram versus tendente, ne qua cum Turcis congregiendi occasio sit, se se in Illyricum recipiat; si quid hostile adversus res Venetas Pialis molliatur, virtute, viribus, omnique conatu obsistendo, videat, ne quid Respublica detrimenti patiatur; sin alio cursum dirigat, ab iis se absteineat, quibus pax cum Suleimano inita violari possit: neque enim temere præpotentem, atque amicum Regem lacescere e Republica esse.

Junio igitur mense cum Melitam delata Turcica classis ef-

1565

*Pialis Turcarum classis imp.*

*Mustaphas terrestribus copiis præficiuntur.*

*Melchior Michaelius classis Venetæ imperator.*

*Antonius Canalis & Philippus Bragadenus classis legati.*

*Franciscus Barbarus Corcyræ & imperio præficiuntur.*